

1821

C A S U I S T I C I.

1822

delis deuocionis obsequium. Quantum luna ceteris stellis est lucidior &c. Ita praefatur Philippus hic ad latinam ex Arabico versionem Pseudaristotelis ad Alexandrum M. de Secretis Secretorum, cujus Exemplum retuli Vol. I. P. 2. col. 2099. ista tamen Praefatione carens. Ait in hac: Cum apud antiochiam vobiscum essem repertam hanc preciosissimam philosophiae margaritam placuit vestre dominacioni ut transferrem de lingua arabica in latinam. Verterat porro e graeca in chaldaicam, indeque in arabicam, Johannes quidam Patritii filius, ut praefertur; ego vero Arabis cujusdam foetum puto. Quae insunt, edisseruit Mich. Neander in Erotemat. Ling. Hebr. p. 558. quae legi etiam possunt in Fabricii Bibl. gr. L. III. c. 6. p. 168. Impressum extare Opusculum, jam dixi l. supracit. Quid monstro vocis Bindoiacone faciam, nescio; reperio tamen Episcopum Tripoleos Syriae nomen suum a B. ordientem, ad quem in Cruciatarum negotio literas dedit Nicolaus IV. a. 1289. Clausula Codicis est: Completus est tractatus de signis naturalibus hominum ad regem magnificum alexandrum qui dominatus fuit toti orbi dictus monarcha in septemtrione.

DCCLVIII.

R. 2225 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 168. 8. nitide exaratus, literis quibusdam initiorum picturatis, quarum prima Autorem

habitu Ordinis sui exhibet scribentem, et olim Bibliothecae Episcopat. Neostadiensis praemissis quibusdam de Examine Confitentium instituendo alia manu adscriptis hunc Titulum praefert: *Incipit summa fratris borcardi de ordine fratrum predicatorum*, et ad calcem habet: *Explicit summa de penitentia fratris brucardi theotonici. de ordine fratrum predicatorum*. Vides Autoris nomen ne apud eundem quidem Librarium constare, quid mirum, si apud diversos Burchardum, Boucardum, Brocardum, Buchardum legas. Cum Teuto fuerit, et Argentinas, ut in *Scriptt. Ord. Praed. T. I. p. 466.* dicitur, Burchardo adhaerendum videtur. Summa ejus constat *Libris IV.* divisis in *Capitula*, quorum Elenchus ad extremum adjunctus est. I. incipit de *Simonia* ita: *Simonia dicitur heresis non quod ipse actus sit hereticus &c.* II. initium est de *Homicidio*. III. de *Bigamis*. IV. de *Sponsalibus*. Opus copiosum, utut succinctum, quod miror prelum evasisse. Exemplum V. *ms.* excitat *Quetifus cit.* His sextum nostrum accedat.

DCCLIX.

Codex chartaceus lat. Sec. R. 52 XV. Folior. 242. 4. bene perscriptus, et rubricis enotatus hanc in ora inferiore p. 1. Notam offert: *Iste liber qui dicitur antonina est monachorum congregationis sancte Justine de padua deputatus monasterio sanctorum Seuerini et Sossii*

C 3

1823

C O D I C E S

1824

Soffii (Sofii) de neapoli. Antoninam puta Antonini ex O. P. ad infulas Florentinas a. 1446. euenti Institutiones morales, quae titulo *Confessionalis*, *Summae*, vel *Summulae Confessionis*, aut de *Eruditione Confessorum* sub ipsa Typographiae exordia saepenumero prelo proditae fuere. Tractatus, quem Codex noster primum exhibet, est ejus Operis *Liber II.* in editis inscriptus, *Interrogatorium*, et incipit: *Postquam ille, qui uult confiteri dixit ex se ea que uoluit* &c. Adhaeret in Codice *Processus annuus quem faciunt Romani pontifices in die Iouis sancto*, seu Bulla dicta in *Coena Dom.* subscripta ab Eugenio IV. a. 1436. *Florentie*, et Elenchus Peccatorum Cordis, Oris, Operis et Omissionis.

Fol. 71. Incipit prologus super tractatu de *Instructione seu directione simplicium confessorum edito a fratre Antonino ordinis predicatorum.* Initium: *Defecerunt scrutantes scrutinio* &c. Respondet quidem hic Tractatus *Libro I.* in editis; verum ordine materiae diuersus, et multo copiosior est.

Fol. 204. Incipit Tractatus de *Restitutione editus a Reuerendissimo patre fratre Antonino Archiepiscopo florentino.* De *Restitutione* agit etiam in editis *Liber III.* sed noster magis accedit ad magnam Antonini *Summam Theologicam* P. II. Tit. II. c. 2. edit. *Veron.* 1740. col. 365. f. cuius *επιτομή* uidetur. Incipit: *Circa materiam restitutionis seu satisfactionis*

notandum &c. et quae in editis priora sunt de *viginti manibus*, hic fiunt posteriora. Fatum est omnium *Excerptorum* et *Compendiorum*, ut a diuersis, qui manus iis admovent, augeantur, contrahantur, transponantur, interpolentur &c.

Adscriptae sunt ad calcem *Rubricae decretalium Gregorii IX.* et *Regule iuris.*

DCCLX.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 215
Folior. 276. 4. nitide scriptus et rubricis distinctus continet: I. *Guidonis de Monte*, ut ego quidem autumo, *Rocherii* (Montrocher) non *Rotherii*, qui error per similitudinem literarum *c.* et *t* illo aevo multum committebatur, *Manipulum Curatorum*, Opus quondam perutile, et, ut ita dicam, *Vade mecum* omnium, qui animarum cura distinebantur, id quod repetitae Seculo statim XV. Impressiones testantur, quarum rarissimam *Viennensem* a. 1482. 4. indicavi in *Supplem. vernac.* ad meam *Typographiae Vien. Historiam*, 1793. p. 27. 4. ubi etiam de Autore egi. Dicitio ad *Raymundum Valentinum* Ep. incipit: *Fons sapientie dei verbum dispositione mirabili* &c. *Raymundum* hunc *Gastonum* habeo a. 1348. vivis exemptum. Ad calcem hujus Dicationis: *Scriptum Turoli Anno Domini MCCC33°.* non igitur 30. ut est apud *Fabricium.* Quid vero *Turoli*, nisi *Librarius* noster illud ex abbreviato *Turonis* vel *Turonib.* corruptit? Sequitur Operis